DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

1190

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XVII. FEBRVARII.

M. RAYMVNDO FINOT, Doctore Medico, Præside.

Utrùm Vita sinè somno?

ACTIONVM, facultatumque conservatio, vita: vivitque tantum animal, quantum prorogendis è se muniis sufficit. Origo vitæ, cor, in quo velut in officinâ, caloris ope, continuatoque sanguinis appulsu jugis est spirituum procreatio; quorum copiâ universo dehinc trajecto corpore, in vires, opusque suum concitata quæque pars, stabilem edit functionem. Scilicet? ut communia particulis omnibus, sic ad omne opus necessaria instrumenta, spiritus sunt. Sed horum indoles ignea, mobilis, ut affluunt celeriter, celeriter effluunt: nisique jugi instauratione compensentur, ruendæ vitæ, corpori sustinendo impares. Hinc ut alimenti, sic capescendi somni venit æqua necessitas. Alimento in sanguinem, sanguine in spiritum verso, quod ipsi decesserat corpori, accedit robur; & ligatis, impeditisque per somnum sensibus, oppositò velut aggere sistuntur spiritus, prohibeturque effluvium. Sic lassum paulò antè, penéque deficiens animal, post somni peracta munia, integrum surgit, & vegetum; siquidem plenius uberiúsque suis in ergastulis coacervati spiritus ad officia alacriùs indè redeunt.

SOMNVS unius est, sed communis sensorij affectio: ab hoc administros sensus, ceu lineæ, ducuntur nervuli per quos spirituum ope, assiduum est primarij sensûs cum internuntiis commercium; utque ad externorum agitationem cietur internus ille, sic principe sopito, famulos consopiri, & quasi rivulos exhausto fonte deficere necessum est. Porrò ut primi sensûs, ita somni sedes existit cerebrum: hujus substantia mollis, tenellula, flexilis, ni plurimâ spirituum copiâ turgescat, atque firmetur, concidit, deprimiturque. Hinc somnus, illinc vigilia. Sic exhausto diuturnis excubiis cerebro, vel nolenti somnus obrepit, maximè si benè pastus ad somnum accedat homo: si quidem halitus caput imperens, sanguinique plurima sese immiscens corpulentaque humiditas, reliquos spiritus frigidâ hebetat, obtunditque qualitate; quibus velut egelidis ac tepescentibus dormitat primò, crebrò dein capitis nutu, palpebratumque casu, languescit, stertit tandem, ac sorbili se prodit animal somno, quo nec in utero fœtus, nec pisces in aquis, nec insecta carere, ne dum ζωόγονα possunt.

VIGILIA somnum excipit, illa spirituum dispendium, hic parsimonia: utque parsimoniæ consilium faciendi sumptus inducunt, ita vigilandi impotentia, dormiendi necessitatem affert. Sed nec per somnum mediocriter afficitur cor: quin imò rationi maximè consentaneum est, ab ipso vigiliam, somnum ab ipso suum habere initium; ut enim ad motum cordis movetur cerebrum, ut ad illius æstum, & fervorem æstuat hoc, ferverque: ita dum factâ quasi officij intermissione conquiescit cor, langueat cerebrum, cessetque ab opere necesse est: sic à cibis ipsa primùm cordis flamma alimenti appulsu quasi sepimento circumclusa peraguste coarctatur, marcescit, extinguitur, penè minor est respiratio, fatiscit pulsus. Interim gravatur cerebrum, concidit, ac somno premitur, quando minori tunc ac penè nullo citati motu spiritus, in ipso sanguine quasi concreti, nec pulsum edere, nec attollere cerebrum, aut poros illius, & nervos hinc indè subire valent: quoad calore sensim emerso, attenuatoque sanguine, impetum denuò faciant spiritus, magisque ac magis discussâ caligine, angustos cerebri flexus permeent, expandant, ac diem singulis afferant sensoriis. Hâc de causâ pueri, mulieres, & quibus ad humiditatem cerebri frigidior accedit cordis temperies, in utramque aurem dormiunt, & stertunt in multam lucem, contrà juvenes, biliosi, graciles, & quos febrilis adurit calor, σάτυροι omnes, ac vix quantum luscinæ dormiunt. Inopia quidem sed imprimis spirituum quies accersit somnum, hinc occupatus in re quâpiam animus, totusque ex illâ pendens, sopori vix se tradere potest: quî enim fuerint quieti spiritus, concitatis quæ ipsos cient facultatibus, fruſtrà sanè corporis, nisi motus animi cohiberet somnus, hos enim dum compescit, spiritus reficit; quos aliter nulla ars, nulla industria, ad vitam sufficienter instaurare queat.

EXPANSO spirituum copiâ cerebro, ipsorumque impulsu, & agitatione, hinc inde pervio, vigilat animal, vitæque redditur; tunc suscitata communis illa sentiendi vis in subjectos sensus se se diffundens, creditas ipsis rerum imagines accipit, distinguit, & profectò si quid sufficeret, quod spirituum decessionem, accessione simili continenter sustineret, nulla somni rediret necessitas. Hinc forsàn insomnes multos vixisse diu, atque adeo Mœcenatem ipsum supremo triennio dormivisse nunquam, literis proditum est. Quin imò nec paucis visum Καρδιάκοις quibusdam medicamentis multo spiritu, igneoque perfusis, arceri somnum. Mirum quantùm ad id conferat herbæ Thée usus, prædicant alij. ridendi planè qui ipsi dormitent maximè, cum dormiendi necessitatem tollunt. Quis enim ille sic inducat animum, ut credat? ita discuti ciborum omnem ἀναθυμίασιν, ita subitò, dum permeat venas alimentum, incalescere; ut ipsius admixtione obtusus minimè spiritus, protinùs refici, ac somnus abigi valeat. Sed lubens id fieri detur, næ calidiori pharmaco motus semper arderet calor, attenuatus nimiùm sanguis propriis in vasis ebulliret, absumptoque penitùs humido, vigiliam quidem produci, sed vitam corripi necesse foret. Id vel ex febribus colligere licet, quarum æstu sanguis suprà modum incalescens penè totus in spiritum abit, ac effluit, cerebroque vigiliarum excessu mox effœro, sæpè rediret in orcum animal, nisi medicus exhibito papaveris succo velut ὑπνωτῷ ictu, coagulum spiritibus admoveret, modicoque somno, immodicum averteret effluvium; cui sistendo nec largus potus, nec potis erant alimenta. Hæc tamen spiritibus unicè mareriem præbent, simulque sanguini temperiem, somnique vices supplerent ritè, sed & lentè nimis spiritus reparant, nec quantum effluit, tantum reponunt.

REFECTIONIS igitur necessaria ratio somnus, νυκτύβιωσις, occlusis corporis totius ostiis, ipsius sumptibus egregiè parcens. Hac de causâ noctes, dieique, se se vicissim excipientes amavit caduca viventium natura, ut diurnos experta labores, profundo noctis silentio quieti captandæ quasi provocata quiesceret, utriusque vicissitudine vigeret. Sic cadente de montibus umbrâ, quasi quiescere monitum animal, moveri cessat, ac sensim languescente calore torpescit; tunc benigni halitus ascendunt, cerebrum opplent, adituque spiritibus intercluso, otiosi sensus fiunt. Interim natura non alienis distracta rebus, tota domesticis incumbit, ingesta feliciùs coquit alimenta, debiles reficit vires, levat oppressas, spiritus instaurat, novumque partibus robur addit: donec sufficienter resarcita feratur ad exteriora. Sic quieti succedit motus, qui sopitum calorem excitat, putredinem arcet, humores recreat, particulisque distribuit. His tamen alternis uti animal necesse est; langueret nimio tempore retentus in somno calor, nec satis ventilatus deficeret, sed totus citiùs vanesceret, si longis implicatus vigiliis, nusquam somni quiete frueretur; dissipariſque continuò viribus, fatisceret tandem facultas omnis. Hoc intimè norunt, qui gravissimis intenti negotiis, insomnes vivere coguntur: In illis enim debilis in corde palpitat flamma, sordescunt oculi, pallescit vultus, & partes præ nimiâ siccitate dehiscunt.

Non ergo Vita sinè somno.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Raymundus Finot, Præses.
M. Robertus Raoult.
M. Matthæus Thuillier.
M. Ioannes Baptista Ferrand.
M. Carolus Marteau.
M. Hippolytus du Val.
M. Claudius Guerin.
M. Petrus Tvelin Regi ab interioribus Consiliis, Seren. Aurelian. Ducissæ Primarius Medicus.
M. Mathurinus Denyau Professor Regius.

Proponebat Lutetiæ HENRICVS MAHIEV, Parisinus, A.R.S.H.M. DC. LXVII.